

## LIII

**P**ersentiscimus tamen non raro complicatas quasdam in animo notiones, maxime, cum sumus uehementius affecti. Quibus quidem euolutis, et sigillatim perpensis, grauior ista commotio uel restingu solet, uel temperari. Quapropter in sedandis affectibus, oratoris est, permotionis cuiusque ingenium callere

## LIV

**D**enique cum omnes affectiones animi ex opinione boni uel mali enascantur, in iis apte uersandis, argumenta Rhetorum, quae ab honesto ac turpi, utili et inutili, iucundo et iniucundo, petuntur, plurimum pollebunt

## LV

**H**aec tenus de Inuentione Thematis et Probationis. Sequitur, ut, cum oratorem informemus, non Dialecticum, quemadmodum integra oratio ad persuadendum componenda sit, dicamus

## LVI

**A**d ducendam hominis uoluntatem multum adiuuat ordo. Boni enim ordinis quanta pulchritudo est, tantus amor naturalis, quantum ad rerum intelligentiam lumen, tanta necessitas. Ordini igitur operam dabit orator, et, quod inuenit, idonea digestum ratione, disponet

## LVII

**N**ihil efficit intellectus, si resistat uoluntas. Sed haec pluribus de caussis reluctari potest, libertatis suae, si quid aliud, tenax. Cum igitur non cogi uelit, sed conciliari, quaerendi sunt aditus, quibus ad eius studium perueniatur. Hos aperiet benevolentiae, bonitatis, prudentiae opinio, oratione ex-